



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Libros III. IV. Et V. De Avxiliis Gratiae In Generali, De Avxilio
Svfficiente, Et De Avxilio efficaci Gratiae Dei

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1652

XXXI. Eadem doctrina alijs Scripturæ locis ad bonum vsum gratiae
exhortantibus suadetur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94118)

set euangelium cum talibus signis, in illa suppositione fundata esset, quod illis daretur prædeterminatione efficax; ergo sensus verborum Christi necessarius ostendit, credituros fuisse Tyrios & Sidonios cum illis auxiliis quibus vocabantur Iudæi, utique non solum externis, sed etiam internis sufficientibus. Hi enim nunquam excluduntur quia semper supponitur Deum illa dare proportionata vocationi, & signis externis, ut in lib. 3. declaratum est. Meritoque sub signis, & virtutibus intelligere debemus non tantum quæ sensibus obiciebantur, sed etiam quæ in animis audientium virtute Spiritus sancti fiebant, ita ut planus, & simplex sensus verborum Christi. Si Tyriis, & Sidoniis, data fuissent subsidia, quæ vobis data sunt, penitentiam egissent, ergo illa erant satis ad efficacem conversionem, si voluntas libera suam cooperationem adhiberet.

Vnde possumus tertio argumentari, nam verba Christi in communi, & visitato, ac proprio verborum sensu accipienda sunt, nisi vel gravissima autoritas, vel evidens ratio aliter interpretari compellat, sed iuxta communem, & visitatum sensum, similia verba faciunt sensum præcisum, & exclusivum, & ita sine dubio ab his qui Christum audiebant intelligebantur; ergo ita sunt a nobis interpretanda. Maior constat ex generali regula interpretandi. Minor declaratur exemplo, nam si me rogante alium, vel mihi beneficium conferret, & illo nolente dicerem: Si Petrus petisset à te, illi dares, nemo dicet, sensum esse: Si Petrus à te petisset dando pecunias tibi beneficium illi dares, aut satis esse ad veritatem meæ locutionis, quod Petrus non sola petitione, sed adiunctis pecuniis obtineret: hoc enim non esset beneficium impetrare petendo, sed obtinere emendo. Si ergo in præsentia, si conditionalis locutio Christi non ita intelligatur ut Tyrii, & Sidonij credituri essent, cum eisdem subsidiiis præcisè sumptis, quæ data fuerant Iudæis, in rigore, & proprietate falsa esset locutio Christi, etiam si credituri essent cum illis subsidiiis adiuncta prædeterminatione, quæ Iudæis data non fuerat, neque oblata. Eo vel maxime quod tunc conversio Tyriorum magis fuisset coacta, vel necessaria, quam libera, & voluntaria, de qua Christus loquebatur, & ob cuius defectum Iudæis exprobat.

Vnde præter Augustinum locis citatis hunc sensum tradunt, vel tanquam certum supponunt expolitores in Matthæum, Gloss. ordin. D. Thomas. Iansen. Maldonat. expressius vero Anselmus sic ait. *Quamvis praevidet Deus illos (scilicet Tyrios & Sidonios) habiles esse ad conversionem, tamen non fuit iniustitia, sed eos, qui peccatores erant, & ideo indigni noluit vocare, quia cum vult miseretur, & quem vult indurat.* Certè non vocat habiles, quia essent capaces prædeterminationis, hoc enim modo omnes quantumvis obdurati sunt habiles, sed quia erant ita affecti, ut eis futura fuisset congrua vocatio. Vnde subdit inferius. *Sed quare Deus negat gratiam libenter suscepturis, & gratia consensuris, non est nostrum scire, & Idem satis innuat Ambrosius lib. 7. in cap. 10. Lucæ dicens. Si Tyrius & Sidon tanta operationum celestium viderent miracula non despicissent remedium penitentiae. Vbi non prædeterminationi, sed eorum arbitrio id tribuit.*

Ex hoc ergo loco concludimus, eandem vocationem, quæ in vno est inefficax in alio posse esse, imo, & futuram esse efficacem si illi detur, sine additione alicuius auxilij prævenientis, solum propter congruitatem ad eum, qui bene usus esset illa vocatione, si ei daretur. Et ad idem confirmandum valet illud Ezechiel. 3. *Non ad populum profundum sermonis, & difficilis lingue tu mitteris, neque ad multos profundum sermonis, &c. Etsi ad illos mittereris audirent te.* Hæc enim conditionalis eodem modo induci po-

test, & debet, quo præcedens. Vnde Hieronymus ibi. *Facilis illi audirent, qui profundi sunt, alique sermonis, & nihil habent de leuitate Iudæica, sed grati, & fido ingrediuntur pede, & cum ignote sunt lingua, mittere desunt, &c.* quibus verbis circumstantias ad congruitatem vocationis conferentes videtur describere. Et concludit. *Vnde sequitur etsi ad illos mitterem te, ipsi audirent te.* Et alia similia supra in Prolegomen. 2. tractata possunt huic argumento accommodari. Vbi etiam ostendi varietatem harum conditionalium propositionum non posse in prædeterminatione fundari, sed tantum in libera determinatione arbitrij futura. Et inde consequenter inferitur efficaciam vocationis in actu secundo perdere à libera cooperatione arbitrij, et quo vltius concluditur, efficaciam in actu primo includere habitudinem ad futuram liberi arbitrij determinationem, ac proinde in congruitate vocationis sitam esse.

CAPUT XXXI.

Eadem doctrina aliis scriptura locis ad bonum usum gratie exhortantibus suadeatur.

Secundò principaliter ad hoc inducimur illa scripturæ testimonia, in quibus homines exhortantur, ut suam vocationem quantum ex parte sua reddant efficacem utique in actu secundo, vel quod perinde est admonentur ne irritam reddant vocationem Dei, nam hæc duæ negationes illi affirmatiioni æquivalent, ne potest aliter vocatio non haberi irrita, nisi consentiendo seu cooperando illi. Hæc namque exhortationes supponunt in potestate hominis actiua, & morali positum esse sufficientis vocationis effectum. Nemo enim prudens alium monet, ut agat, quod non potest, neque excitat illum ad recipiendum, quod ab alterius sola voluntate provenire potest, nisi etiam ex sua pendeat, ergo testimonia quæ ad effectum vocationis homines exhortantur, supponunt efficaciam non pendere ex prædeterminatione, sed dari homini in actu primo, & in eius morali potestate constitui, quoad actum secundum, quod esse non potest nisi per vocationem congruam. Nam si intercedere debet prædeterminatio, exhortandi prius essent homines, ut haberent prædeterminationem, quod tamen superuacuum esset, cum ab illis fieri non possit, neque ab eorum arbitrio pendeat.

Primo igitur isto modo inducimur verba Petri 2. epist. c. 1. *Satagite ut per bona opera, certam vestram vocationem, & electionem faciatis.* Quæ verba quoad particulam certam duplicem habent sensum. Vnus enim ut significant certitudinem cognitionis, ita ut sensus sit, satagite per bona opera, vel vos ipsos, vel alios certos reddere, quantum in hac vita fieri potest, quod vestra electio, vel vocatio à Deo sit, vel quod sitis verè iusti, aut etiam electi, & prædestinati, quem sensum Beda Oecumen. & Glossa sequuntur. Alter sensus est ut Petrus non de certitudine subiecti, seu cognitionis, sed de certitudine obiecti, & vocationis loquatur, ita ut idem sit facere vocationem, & electionem certam, quod facere firmam per eius executionem. Quam expositionem indicat D. Thom. 1. p. q. 23. art. 8. ait enim prædestinationem fieri certam per bona opera, quia per meliorum executionem certitudinaliter impletur, & ideo dixisse Petrum Satagite, &c. igitur facere vocationem certam, idem est, quod

n.
Eadē vocatio, quæ in vno est inefficax, in vno potest esse, imò & futura est efficax si illi detur, &c.

quod illam in re ipsa ratam, ac firmam reddere. Quod expressius tradit noster Bellarminus lib. 3. de Iustificat. cap. 9. ad ultim. & in versione quae apud Oecumenium est, sic legitur. *Ut vocationem & electionem vestram firmam faciat.* Eteodem modo legitur Caietanus, estque haec expositio textui consentanea. Imo si quis rectè consideret, prior etiam expositio hanc inuoluit, ac supponit, quia ideo bona opera sunt signa, quae possunt cognitionem aliquo modo certam gratiae, ac praedestinationis, vel in ipso operante, vel in aliis generare, quia vocationem firmam, & ratam reddunt. In hoc autem sensu idem est facere vocationem certam, quod facere efficacem, & fructuosam; est ergo hoc in potestate hominis, & ab illo pender, aliàs frustra diceretur illi ut suam vocationem certam faceret.

Deinde hoc confirmatur ex verbis Pauli 2. Corinth. 6. *Aduuentes exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Quae quidem verba licet ad omnem gratiam huius vitae accommodari possint, nam illa exhortatio, & in gratiis datis, & in ipsamet habituali saltem pro futuro tempore locum habet, tamen Paulus de gratia communi omnibus fidelibus loquitur, cum omnes exhortetur, illaque de gratia actuali potissimum intelligat, quia habitualis non fructificat, nisi media actuali, & in tantum manet otiosa, in quantum actualis gratia in vacuum recipitur. Eo vel maxime quod habitualis gratia non est communis omnibus, cum tamen ad omnes dirigatur exhortatio, vnde etiam fit ut ibi maxime intelligenda sit gratia vocationis, quia illa est prima inter actuales, ac proinde communis qui gratiae Dei participes aliquo modo effecti sunt ad quos Pauli exhortatio generaliter dirigitur. Evidenter enim ad eos loquitur Paulus qui gratiam aliquam acceperunt, cum expressè dicat. *Exhortamur vos ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Vnde Augustinus lib. de grat. & lib. arbitr. cap. 5. sic ait. *Ut quid enim vos rogat si gratiam sic susceperunt, ut amitterent liberum arbitrium.* Intelligit ergo Paulum ad eos loqui, qui gratiam aliquam susceperunt. Quod etiam est per se evidens, nam si nullam recipiunt, quo modo possunt illam in vacuum recipere? Vnde testimonium quod inducit Paulus. *Tempore accepto ex audiente, & in die salutis adiuuante, & gratiam praeuenientem datam supponit, & adiuuantem ostendit tempore placito, id est, legis gratiae, oblatum esse, & ita D. Thomas ibi de gratia praeueniente, & cooperante locum illum interpretatur. Cum autem inter has prima gratia, quae in homine recipitur, sit vocatio, de illa maxime monet Paulus, ne in vacuum illam recipiamus. Et ita intellexit locum illum Augustinus lib. de Grat. & lib. arb. cap. 5. vbi haec verba coniungit cum illis 1. Cor. 1. 15. *Gratia Dei sum id, quod sum, sed gratia eius in me vacua non fuit.* quam gratiam ad vocationem reducit dicens. *Ut autem de caelo vocaretur, & tam magna, & efficacissima vocatione conuerteretur, gratia Dei erat sola.* Quibus locis videtur etiam Concilium Senonen. in praefatione ad ostendendam concordiam gratiae cum libero arbitrio, quae quidem concordia non habet difficultatem, nec habuit vnquam respectu gratiae habitualis, seu respectu actualis, & praecipue operantis, praeuenientis, seu vocantis.*

Hoc ergo supposito, tale ex hoc loco conficitur argumentum, Nam vel Paulus loquitur de vocatione sufficiente in genere ut abstrahit à congrua, & incongrua, seu ab efficaci, & tantum sufficienti, vel loquitur de purè sufficienti, vel de sola efficaci: quidquid horum dicatur concluditur intentum. Nam si dicatur primum (ut planè dicendum est cum Paulus generatim, & indefinè loquatur) supponit admonitio Pauli esse in proxima hominis potestate, postquam sufficienter vocatus est, fru-

Fr. Suarez de Gratia Pars II.

ctum talis vocationis ferre, si velit, & consequenter illam efficacem facere, vel illi resistere, & sic illam vacuum reddere. Dicent fortasse, esse quidem hoc in potestate hominis vocari, sed non eodem modo, nam potest fructum talis gratiae ferre, si aliam recipiat, quia praedeterminetur, potest item illam vacuum reddere, si non praedeterminetur: Sed contra, nam potestas dandi illam praedeterminationem est solius Dei, nec ad alterum illorum potest homo aliquid ex se praestare, ut supra probatum est, ergo frustra monetur vel à Petro ut firmam suam vocationem faciat, vel à Paulo, ut non in vacuum gratiam recipiat: nam prius oportuisset illum monere, ut praedeterminationem recipiat, vel ut caueat carentiam praedeterminationis, haec autem admonitio esset ridicula, & frustranea, quia recipere, vel non recipere praedeterminationem non est in hominis potestate, ut sepe dictum, & probatum est. Supponit ergo Paulus, talem esse illam gratiam, ut in homine susceptam, ut ab homine ipso adhibita sua cooperatione possit fieri non vacua quam nos congruentem vocamus, & quo possit etiam vacua fieri, si homo cooperari nolit.

Et declaratur amplius expendendo alia membra; nam si loquatur Paulus de gratia sufficienti, eo ipso exhortatur hominem, ut sufficientem gratiam efficacem faciat, ergo supponit hoc esse in proxima potestate hominis vocati ex vi gratiae sufficientis, ita ut recepta illa gratia immediate habeat in manu sua effectum gratiae, sine alia gratia praeuia, quae non sit in hominis potestate. Probatur consequentia, quia ut ibi Ambrosius & D. Thomas dicunt, *tunc gratia in vacuum recipitur, quando nullus ex ea fructus percipitur.* Iuxta illud Isai. 55. *Sic erit verbum meum quod egredietur de ore meo, non reuertetur ad me vacuum, sed faciet quaecunque volui.* Ergo non reuertitur vacuum est reuelatum effectum. Sic ergo in alio loco gratiam Dei, non in vacuum recipere, idem est, quod non sine fructu & effectum illam recipere, ergo idem est quod bene illa uti, ita ut fructum ferat nam duae negationes affirmant. Idem ergo est non in vacuum, quod cum fructu, si autem est cum fructu, iam est efficax; ergo monet Paulus, ut ita in nobis recipiamus gratiam sufficientem, ut efficax etiam sit, ergo est in potestate nostra facere aliquid, quo posito gratia erit efficax. Quod verissime dicitur, si efficacia praeuenientis gratiae consistit in congruitate vocationis dicentis respectum ad nostram liberam cooperationem, cum efficacia autem praedeterminationis physica stare non potest, cum illa nullo modo sit in potestate hominis nisi merè passiva, nec ex nostra libertate pendeat, sed illam omnino antecedit.

Denique non minus idem conuincitur, si de gratia efficaci locum illum interpretemur, nam si eos etiam qui gratiam efficacem receperunt monet A. postolus ne in vacuum gratiam Dei recipiant, supponit profecto esse in potestate hominis vacuum reddere etiam illam gratiam quae cooperante auxilio futura est efficax. Nam si talis gratia supponeretur in homine recepta, cum qua impossibile esset, homini non ferre fructum, superuacanea, & illusoria esset admonitio, ut cauerent, ne gratiam illam in vacuum reciperent, quam receptam non possent ipsi reddere vacuum. Vnde rectè dixit Augustinus supra. *Ut quid eos rogat si gratiam sic susceperunt ut propriam perderent voluntatem.* Vbi propriam voluntatem appellat, non ipsam potentiam, nemo enim cogitauit vnquam per gratiam perdi potentiam ipsam, sed intelligit proximam potestatem liberè vtendi, vel non vtendi gratia, seu ipsum liberum vsum, quo vacua reddatur. Si autem gratia efficax praeueniens praedeterminaret voluntatē, profecto secum non admitteret veram facultatem reddendi illam

Propriam voluntatē hic appellat Augustinus non ipsam potentiam, sed proximam potestatem liberè vtendi, vel non vtendi gratia.

illam vacuum; ergo si Paulus loquitur de gratia efficaci; & monet ne vacua fiat, supponit consistere in tali modo gratiæ, quæ in sua efficacia à libera cooperatione liberi arbitrij aliquo modo pendeat.

Et hoc confirmant alia verba Pauli 1. Corint. 15. *Gratia Dei in me vacua non fuit.* Vbi sine dubio loquitur de gratia efficaci, talis enim erat gratia illi data, & tamen quodammodo gloriatur; quod in ipso vacua non fuerit, sed abundantius (ait) illis omnibus laboravi. Supponens profectò potuisse ab ipso vacuum fieri, aliàs quæ esset gloriatio? Ut autem non in se, sed in Domino gloriari cognosceretur, se statim corrigit dicens. *Non ego sed gratia Dei mecum.* Id est, (vt Augustinus exponit) non solus sed gratia Dei mecum; ac per hoc nec gratia Dei sola, nec ipse solus, sed gratia Dei cum illo. Ergo id, per quod in re ipsa fit, vt vocatio sit non vacua, quod est esse efficax, non est aliqua alia gratia sola, sed est gratia simul cum cooperatione liberi arbitrij, & consequenter præueniens gratia non est efficax sine habitudine ad hanc liberam cooperationem.

Responderi potest; Paulum quidem loqui de gratia efficaci in qua recipienda voluntas iam consentit, (hoc enim expressè testatur Concilium Senonense supra, & ex textu colligitur, quia loquitur ad fideles, qui efficacem gratiam ad credendum receperant) & nihilominus hortari eosdem fideles, ne in vacuum gratiam Dei accipiant, non quidem quoad illum effectum, quem iam in eis habuerat, sed quoad alios fructus bonorum operum, respectu quorum prior illa gratia potest esse sufficiens, & non efficax. Respondeo in primis, licet hic sensus ex parte verus sit, & intentus a Paulo vt Chrysostomus, Theophylactus, & alij exponunt, nihilominus non posse ad illum Pauli verbum limitari, nam generalia sunt, vt supra dicere incepi. Itaque non solum monet Paulus peccatores, sed etiam iustos, ne in vacuum gratiam Dei recipiant. Nam vt ibi ait Theophylactus. *Quid prodest à peccatis liberari diuina gratia, deinde rursus eis per propriam socordiam impleri?* Deinde non monet tantum iustos, sed etiam fideles peccatores, ne in vacuum gratiam fidei recipiant. Nam (vt idem Theophylactus subdit) *ad reconciliationem non sufficit fides, sed vita etiam est necessaria.* Deinde non monet tantum fideles iam credentes sed etiam quoslibet iam vocatos ne gratiam vocationis in vacuum reciperent, quia ad omnes loquitur, ergo si de gratia efficaci loquitur, etiam vocationem congruam quoad primam efficaciam eius comprehendit, illamque efficaciam supponit, talem esse, vt possit per libertatem hominis vacua fieri. Deinde addo idem probari, etiam si de priori gratia propria voluntate recepta sit sermo, quia illa non potest fieri fructuosa nisi cum noua gratia excitante, & efficaci; ergo cum Paulus exhortatur ne gratiam illam reddamus inefficacem, de illa loquitur non secundum se tantum spectata, sed vt habet adiuncta, & oblata necessaria auxilia actualia ad fructificandum, in quibus gratia efficax actualis includitur, ergo semper idem argumentum redit.

Et ita Augustinus, & cum illo Concilium Senonense citatis locis maxime vtuntur illo testimonio ad probandum gratiam non tollere liberum arbitrium. Et vt probatio sit efficax, necesse est intelligant, Paulum ibi loqui de quacunque gratia viæ, nam heretici non dicunt omnem gratiam tollere libertatem, sed aliquam. Vnde si verba Pauli ad aliquam gratiam limitentur, non probabunt contra hereticos, respondebunt enim illam quidem gratiã de qua Paulus loquitur non tollere libertatẽ, quandam verò gratiam specialem illam tollere. Igitur de quacunque gratia huius viæ verum est, posse ab homine vacuum fieri, & præcipue de præiã, & a-

ctuali, nam in hoc maxime ab hereticis erratum est; ergo de hac etiam loquitur Paulus, vel saltem etiam illam comprehendit. Nam (vt dixi) verius est generaliter loqui de auxilio gratiæ, cui nec repugnat euacuari fructum liberi consensu, vel operationis, nec repugnat non esse vacuum, sed in re ipsa reddi efficax ita vt habeat effectum. Ex his testimonij adiungi possunt frequentes exhortationes similes, quæ in Scriptura inueniuntur, vt est illa 2. Tim. 1. *Admone te, vt resuscites gratiam Dei quæ est in te per impositionem manuum mearum.* Vbi licet nomine gratia Dei possit gratia gratis data intelligi, maxime tamen loquitur Paulus de gratia Spir. S. quæ in ordinatione seu consecratione datur ad Episcopatum, & Sacerdotij munera sanctè exercenda, vt Chrysostomus, Theophylactus, D. Thomas, & alij intelligunt. Cum autem Paulus dicat gratiam, quæ est in te, clarum est per verbum resuscitandi non monere Timotheum, vt amissam gratiam recuperare studeret, iustus enim erat, & gratia in se habebat; monet ergo, vt non sinat esse otiosam, sed actuosam, & operatoria illã reddat, quod est ex parte sua illã reddere efficacẽ. Obiici autè potest quia hoc modo magis esset resuscitare hanc gratiam, quã illi cooperari quia illo verbo magis officium excitantis, quã cooperantis significari videtur. Vnde apud Chrysostomum, ita legitur, *vt excites gratia Dei quæ est in te.* Verum tamẽ excitatio illa quã Paulus dicto loco poscebat, supponebat excitationem quam Spir. sancti facturus erat in eodem Timotheo, mediantibus illis eisdem verbis, quibus Paulus ipsum Timotheum monebat. Supposita autem illa excitatione generali facta, vel à Spir. S. per eam, rectè monetur Timotheus, vt gratiam in se existentem excitet, & applicet ad particularia opera suo muneri consentanea. Et ita in illis verbis docemur, posita sufficienti gratia excitante esse in proxima potestate nostra cum gratia cooperare efficacem reddere illi excitatio-nem solum quoad consensum immediatum illi con-petendum, sed etiam ad viterius progredien-dum ad excitandum in nobis alios effectus, & hoc modo torpentem, vel etiam dormitantem gratiam excitare, & vigilantem reddere. Vnde Chrysostomus ibi sic exponit. *Inest quidem gratia mirata, acerrime vehementiorem illam efficere stude.* Et iterum sic ait. *Excita gratiam Spiritus, quam accepisti ad Ecclesie institutionem, ad perpetranda miracula ad omne religionis tibi quam quippe hanc vel extinguere vel excitare in nobis. Vtique supposita prima excitatione Dei, quæ temporibus opportunis nunquam deest.*

Confirmat hoc Chrysostomus ibidem alio testimonio Pauli dicens. *Incirco, & alibi ait: Spiritum nolite extinguere, is enim angore, (vel forte langore) animi, & negligentia extinguitur, vigilantia vero, & intus suscitatur.* Vnde Macar. Homil. 17. cum dixisset, *verbum Dei à perfectis requirit voluntatem animæ in obsequium spiritus, nempe vt assentiantur*, id confirmat dictis verbis Apostoli. *Spiritum nolite extinguere.* Et homil. 27. At (inquit) quo pacto scriptum est, *spiritum nolite extinguere, si ipse inextinguibilis est, & lucidus?* Tu vero voluntate tua negligens ac non consentiens extinguere ab spiritu. Et idem confirmans addit. *Eodem modo dicit nolite extinguere spiritum sanctum Dei.* Vides in tua voluntate positum esse, ac libero tuo arbitrio, vt honore afficiat spiritum sanctum, & non angas. Ac denique D. Thomas 1. Thessalon. 5. circa illa verba varios modos declarans quibus à nobis potest extingui Spiritus sanctus non in se, sed in nobis, vnus, inquit, est, cum aliquis bonus motus surgit, & homo impedit, extinguit spiritum. Act. 7. *Vos semper spiritui sancto resistitis.* Ex his ergo testimoniis rectè colligimus, semper esse positum in hominis potestate, vel spiritum, id est, motionem, & vocationem spiritus extinguere, vel accendere, quod est ex parte sua efficacem reddere, vel

parte sua efficacem reddere, illi cooperando. Et qui ab hac generali regula Scripturarum motionem prædeterminantem exceperint, ostendere debent Scripturas, & authentica testimonia, quibus talis exceptio nitatur, vel si illa non censetur exceptio, necessarium erit, ut exponant, quomodo respectu talis motionis locum habeat illud. Spiritum nolite extinguere, vel illud. Vos semper Spiritui sancto resististis.

Quæ verba vltima paulò amplius vrgere libet, illi enim dicuntur Spiritui sancto resistere, qui vocationi eius, illuminationi, & inspirationi non consentiunt, neque cooperantur. Interrogo ergo, an illi ita moti essent à Spiritu sancto, & vltatim, seu immediate essent, nulla alia præmotione Spiritus S. expectata bene vti illa vocatione, & eique assentire, vel adhuc indigerent alia motione, sine qua inclinare, aut determinare voluntatem suam non possent. Si primum dicatur, merito quidem arguuntur illi, quod Spiritui sancto resistenter, consequenter vero inde conuincitur, nō esse necessariam motionem prædeterminantem ad consentiendum vocationi sufficienti, neq; ad reddendam illam ex parte nostra efficacem, seu ad cooperandum illi, vt effectus sit. Si autem dicatur secundum, immerito illi de resistentia culpantur, quia falsum est, eos resistisse, præsertim moraliter, & liberè, quod necessarium est, vt eis dissensus ad culpam imputetur. Probat, quia illa resistentia est tantum negatiua, scilicet, quia homo non statim inclinat voluntatem suam ad consensum, & flectit illam, submittendo eam tali vocationi. Et hæc non potest dici resistentia, nec imputari ad culpam, quia nondum datū est, nec oblatum, aut aliquo modo positū in manu hominis, id sine quo inchoare non potest talem inclinationem seu determinationem voluntatis, non est ergo illa resistentia, sed impotentia amplectendi talem vocationem. Vel resistentia illa est positua, quia homo proprio actu vult dissentire, & tunc non solum procedit ratio facta, sed etiam alia, quia ad illum actū posituum prædeterminatur voluntas humana à motione Dei, & illa motio est prima radix talis resistentiæ homini inenitabilis, ergo homo non resistit Spiritui sancto, sed ipse Deus est, qui suo Spiritui, ac proinde sibi resistit. Et similem vim habent verba illa. Vocatus & renuistis Prouerb. 1. & illa Hodie vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra. Psalm. 94. Et illud. Quoties volui congregare filios tuos, & conuolasti. Matth. 23. Nam his omnibus, & similibus, discursus factus potest applicari.

Peculiariter autem hunc argumentandi locum optinè confirmat reprehensio illa Domini ad populum Iudaicum per Isaiam c. 5. Expectaui vt faceret vinea sicut autem labruscus. Quid est enim expectare vineas, nisi expectare fructum, & effectum culturæ spiritualis vineæ, quæ procul dubio fit per vocationem, & auxilia præuenientia, non externa tantum, sed etiam interna sufficientia, & necessaria ad ferendum fructum, vt supra lib. 4. c. 2. probaui, & conuincunt illa priora verba. Quid amplius debui facere vineæ meæ, & non feci. In illis autem non comprehenditur auxilium prædeterminans, vt est per se euident, quia si illud datum esset vineæ, infallibiliter fructum attulisset, ergo sine illa sunt alia auxilia de se efficacia, si homo eis vti velit ad ferendum fructum, & è conuerso voluntas illis præparata immediate potest facere vt sint efficacia cooperando illis, cum auxilio simultaneo sine alio præiudicio. Alioqui frustra Deus expectaret fructum à vinea, quæ ad ferendum fructum indigeret tribus beneficiis, v.g. putandi, fodiendi, & rigandi, si duobus adhibitis tertium omitteret. Quod euidentissimè vrget in auxilio prædeterminante, si necessarium est, quia illud quando non datur, nullo modo est in hominis potestate, quia

Fr. Suarez de GRATIA Pars II.

Deus pro solo suo arbitrio dat, vel non dat illud; si ergo Deus non dederat, imo ex se decreuerat non dare prædeterminationem suæ vineæ, quid de illa conqueritur quod non dederit fructum? aut quomodo potuit ab illa expectare fructum cum non posset vel ab illa, vel in illa prædeterminationem expectare. Illa ergo reprehensio efficaciter conuincit, post sufficientem culturæ mysticæ vineæ, quæ omnia auxilia præuenientia actu data, & concomitantia oblata includit, efficaciam sumendam esse in ordine ad cooperationem liberi arbitrij, ac subinde in congruitate consistere. Et hoc amplius confirmabimus cap. declarando quomodo Deus expectat fructum liberæ voluntatis, nam illa expectatio certissima est, & profecto si determinatio physica necessaria esse, locum non haberet, vt ibi ostendimus.

Denique concludimus hunc locum illis testimoniis quibus post sufficientem vocationem postulat, speratur, vel alio simili modo vocationi immediate coniungitur consensus, tanquam in proxima hominis potestate existens. Nam vt hæc omnia vera sint, & non ficticia, necessarium est, præter eam vocationem nihil necessarium esse ad defectum, & efficaciam eius, præter usum liberū cum simultaneo Dei auxilio, nam si quid prius, & quasi medium inter illa intercedere necessarium est, illud prius esset præstandum, vel præcurandum, quam consensus, postularetur. Nam aliàs consensus non esset in proxima hominis potestate, sed in remota, vel non esset in potestate actiua completa, sed in receptiua, quod talibus testimoniis repugnat. Huiusmodi est illud Apocalyp. 3. Ego sto ad ostium, & pulso, si quis aperuerit intrabo ad illum Vt enim in his verbis: Si quis aperuerit, non postuletur ab homine conditio impossibilis, necesse est, vt supposita pulsatione Dei sit in potestate hominis aperire, vt per se notum est. Ergo necesse est, vt in actu aperiendi (qui est consensus) iam non pendeat voluntas ab aliquo auxilio, quod non sit in eius potestate, nisi tantum passiua. Nam quod huiusmodi est, non est in morali hominis potestate, neq; est conditio homini possibilis moraliter, nisi quatenus homo aliquid liberè agere potest ad illud consequendum, quod de auxilio prædeterminante dici non potest, vt supra ostendi, vbi probatū est, neq; positue, neq; negatiue posse hominem se disponere ad prædeterminationem, aut illam impedire, vel non impedire. Ergo conditionalis illa promissio ostendit, recepta occasione præueniente, & oblato auxilio simultaneo, esse in proxima hominis potestate ita se gerere, vt efficacem reddat vocationem sine alio auxilio prædeterminante.

Respondent aliqui, in illo loco, & similibus sermonem esse de vocatione non quacunque, sed efficaci, quæ includit auxilium prædeterminans, vt ipsi dicunt. Sed præterquam quod prædeterminatio non pertinet ad vocationem, vt infra circa testimonia Augusti ostendam, gratis, & contra vim verborum illa euasio huic testimonio applicatur. Primo quia verba Script. generalia sunt. Ego sto ad ostium & pulso, quæ non possunt vniuersaliter de vocatione efficaci verificari, quia Spir. S. non est semper ad ostium, vt efficaciter pulset. Vnde Concil. Sen. decret. fidei 13. expresse illa verba intelligit de præueniente auxilio indifferente, cui resisti non potest, & sæpè resistitur, & idem indicat Tridenti. sess. 6. c. 5. Secundo quia si prædeterminatio data cum tali vocatione supponitur, impertinens est illa conditio quia ex suppositione talis vocatonis, esset conditio necessaria, & inenitabilis, conditio autē non apponitur, nisi quia non obstante pulsatione Dei fieri potest vt homo non aperiat, tali potestate, quæ sæpè in actu reducitur. Tertio quia certū est similem conditionalem esse verissimam de omnibus sufficienter vocatis, quod si aperuerint Deus intrabit ad illos. Hæc e-

13. Concluditur illis testimoniis, quibus post sufficientem vocationem postulat, &c. contra sus hominis

14.

Ll 3 nim

nim ratione de omnibus adultis peccatoribus verum est, quod si penitentiam egerint, iustificabuntur, ergo promissio illa conditionalis non fit tantum efficaciter vocatis, sed etiam sufficienter vocatis, ergo de illis omnibus verum est habere in potestate sua efficaciam suae vocationis, cum tamen non habeant in potestate sua praedeterminationem, ergo efficacia non pendet ex praedeterminatione, sed ex cooperatione liberi arbitrii, seu habitudine ad illum. Et eodem modo induci possunt similia testimonia. Convertimini ad me, &c. Zachar. 4. Ioel. 2. Proiicite iniquitates vestras, facite vobis cor novum. Ezechiel. 28. & 33. ubi similes habentur promissiones.

CAPVT XXXII.

*Alia Scriptura testimonia contra physicam
praedeterminationem expon-
duntur.*

Tertio principaliter asserre possumus testimonia quae directe physicae praedeterminationi repugnant, nam illa consequenter probant auxilium efficax in congrua vocatione consistere. Quia exclusae praedeterminatione non potest aliter explicari efficax. Haec autem testimonia quaedam ostendunt auxilium efficax, quod simpliciter necessarium est ad singula opera pietatis non esse ponendum in praedeterminatione efficaci, seu (quod perinde est) praedeterminationem physicam, non esse per se necessariam ad singula opera pietatis, sed ad liberam determinationem eius. Et hanc partem probant satis efficaciter multa ex testimoniis in duobus punctis praecedentibus adductis. Quia dum probant per vocationem sufficientem ita poni consensum in potestate voluntatis, ut immediate valeat in effectum prodire, & per illam stare, ut non sit efficax vocatio, vel ut habeat effectum cum simultaneo auxilio oblato ex parte Dei, consequenter conuincunt non esse simpliciter necessariam huiusmodi praedeterminationem ad talem consensum.

Et ad hoc ipsum probandum valent omnia testimonia, quibus lib. praecedenti cap. 2. & sequentibus probauimus dari huiusmodi auxilium sufficiens, quod licet interdum sit remotum respectu alicuius actus, reducendum semper fit ad aliquid cuius comparatione sit proximum, ita ut per illud, & cum illo possit voluntas in aliquem bonum actum prodire, vel prauum vitare. Haec enim proxima sufficientia auxilij nunquam esse potest respectu alicuius actus, si praedeterminatio est necessaria, quia si praedeterminatio data est, iam non est sola sufficientia, sed efficacia, si vero non est data, eo ipso quod data est, auxilium non est proxime sufficiens, quia deest aliquid necessarium, quod prius obtinendum est, non comitanter tantum sed praeiudiciale, & antecedenter. Vnde etiam si ut non sit in proxima potestate actiua hominis, sed tantum in receptiua. Semper ergo potentia illa in statu sufficientiae concepta est tantum remota. Et consequenter ulterius fit, quod sit sufficientia libera, & moralis, quia receptio talis praedeterminationis, nullo modo est in actiua potestate hominis, quia neque ad illam praedeterminationem efficiendam potest effectiue, vel liberè concurrere, neque etiam potest aliquid liberè agere, quo illum obtineat, vel non impediatur. Sic ergo testimonia Scripturae, quae probant dari auxilium verè, ac proxime sufficiens, probant auxilium necessarium ad pie operandum non consistere in physica praedeterminatione.

Quibus addi potest illud Deuter. 30. Mandatum quod ego praecepit tibi hodie, non supra te est, neque procul situm, vel in caelo situm, ut possis dicere. Quis nostrum voluit ad caelum ascendere, ut deferat illud ad nos, ut audiamus, & opere impleamus? Vbi considerandum est verba illa dirigi ad populum à Deo vocatum, & supernaturaliter illuminatum, aliisque auxiliis gratiae sufficienter instructum. Quamuis enim illa lex veteri populo illi gratiam non conferret, tamen Deus qui legem illam dabat, necessaria etiam gratiae auxilia ad illam implendam propter Christum offerrebat, & ideo dicit. Mandatum non supra te est, non quia non esset supra naturae vires, vel quia sine gratia posset impleri, cum statim ibi proponatur summum preceptum diligendi Deum super omnia, sed quia non erat supra vires illius populi sub tali providentia gratiae constituti. At si inter vires necessarias ad mandatum implendum est illa determinatio, quam Deus solus facere potest, & tribuit illam cui vult, negat, profecto mandatum Dei est supra hominem quantumvis gratia instructum, si determinatio illam non habet, quia talis determinatio supra hominem est, & in caelo est (ut sic dicam) nec habet modum, aut viam qua illuc ascendat ad illam obtinendam. Declaratur ex epistolis, nam si Deus praecepit mihi prophetae, aut miracula facere, & non det donum prophetiae, aut gratiam miraculorum, nec modum obtinendi illa, profecto merito dicitur tale mandatum esse supra hominem, & esse procul, & in caelo situm, &c. At non magis potest voluntas hominis determinari ad diligendum Deum sine praedeterminatione Dei, quam prophetae sine dono, ergo si Deus nec dat talem determinationem, nec modum obtinendi illam, dat praeceptum supra hominem, quia in praecepto diligendi Deum continetur, ut voluntas determinetur ad diligendum illum. Acquirantur reliqua omnia, quae in illo capite subsequuntur de propositione boni, & mali, vitae, & mortis, & praecepto eligendi vitam, eandem veritatem confirmant.

Alia denique sunt testimonia, quae non solum probant auxilium praedeterminans non esse necessarium ad opera pia, sed etiam repugnare illis, quatenus esse debent opera humana, & quae in laudem, & meritum ipsius hominis operantis cedant. Haec autem testimonia eadem sunt cum illis quibus in Proleg. 1. & in c. 4. huius libri contra Caluinum probauimus, auxilium efficax non consistere in motione necessitante voluntatem. Praecipuum verò est illud. Ecclesiast. 15. Deus ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilij sui. Adieci mandata, & praecepta sua. Si volueris mandata seruare, conseruabunt te. & posuit tibi aquam & ignem, ad quod volueris porrigere manum tuam. Ante hominem vita, & mors, bonum & malum, quod volueris dabitur illi, quem locum in dicto cap. 4. latè tractaui. Et in primis ostendi non esse limitandum ad statum innocentiae, sed absolute de omni statu esse intelligendum. Quia licet ea omnia dicantur de homine ab initio creato, continent tamen intrinsecam hominis proprietatem, quae per peccatum non amittitur. Deinde certum est, illa omnia non solum dici de actibus ordinis naturalis, siue civilibus, siue moralibus, sed etiam de supernaturalibus, quia homo est relictus in manu consilij, in ordine ad consequendum, vel admittendum finem vltimum propter quem creatus est, qui finis supernaturalis est, & per actus supernaturales comparatur. Vnde cum dicitur. Si volueris mandata seruare, conseruabunt te, non solum de naturalibus, sed maxime de supernaturalibus intelligitur, quia horum obseruantia in primis necessaria est ad vitam animae (de qua ibi etiam maxime sermo est) obtinendam, & conseruandam. Vnde tandem fit, ut illa intelligantur de homine non solum naturalibus viribus instructo, sed etiam supernaturali.